

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Clementissimis Auspicus Fridericianis De Emphasi
Sacrarum Vocab, Ex veteri Hist. Hebr. repetenda, publice
cum aliis colloqventur**

Ad diem XII. Maji A. a partu Virginis MDCCIII. In Auditorio Theologorum

Dassovius, Theodor Dassovius, Theodor

Kiloni[i], 1714

VD18 90523733

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-10336

PROOEMIUM.

CUm anno superiore aliquas sacri codicis sententias ex historia Hebræa interpretaremur, temporis angustia exclusi paucas tantummodo protulimus in medium; itaque paulatim, prout aliquid nanciscemur otii, plures ejusmodi attingemus, ut, quas emphases sacrarum vocum indagare alii non potuerint, utpote adminiculis discendi sive autoribus Hebræis destituti, ulterius rimemur & quanta harum emphasis certitudo sit, quæ usu rerum & consuetudine vivendi veterum confirmantur, jucunde & luculenter constet. Neque tamen eas repetemus emphases, quæ in Lexicon nostrum emphaticum congeffimus, sed novas scrutabimur, cum satis numerosæ in monumentis Hebræorum veterum occurrant. Qui labor eo diligentius debet suscipi, quo major inde speratur fructus, siquidem non modo veteris sed & novi fœderis loquendi formulæ sat multæ intelligi sine historia Hebræa nequeunt, quæ faciem iis fulgidissimam accedit atque præfert. Sit itaque opitulante divino Numine,

G 2

COMM. I.



(4) COMMA I.

Psalmus 51. v. 4.

Expiā me hyssopo.

§. I.

Mirum videri possit, cur David non expiari victimā pro peccato cæsa voluerit, siquidem facile dare ejusmodi victimam potuisset, cum in re lauta viveret, & alii ejusmodi victimā expiarentur, sed tamen si veterem consulimus historiam, facile advertimus, ejus peccata nullo potuisse victimarum expiari sangvine, utpote nimis atrocia & enormia.

§. II.

Nam si victimæ pro peccato cæderentur, peccatum ex ignorantia commissum erat, ceu docent Hebræi veteres. *Vid. Majmon: in libro de erroribus s. 1. §. 1.* Jam vero David non ex ignorantia sed prohæresi, deliquerat. Ergo nec victimā pro peccato cæsa liberari a contracto reatu poterat. Sed exquisitus reqvirebatur remedium, aspersio videbatur hyssopo facta, utpote qvæ, qvia adversus immundiciem omnium maximam valebat, nempe adversus immundiciem ex mortuo contractam, hinc etiam omnes victimarum sanguines pretio suo & dignitate superabat, quandoqvidem qui victimarum sanguine juvari non poterant, hac aqua lustrali, nimirū hyssopo in aquam vaccæ rufæ cinerib⁹ mixtam intincta juvabantur, & sic simul David se esse in